

BS 1145

23

V. 7

1891

COMMENTARIA IN ECCLESIASTEN.

ARGUMENTUM.

Tria hic de more pauci præmittenda sunt: *primum*, quæ et quanta sit libri auctoritas, ac quis auctor; *secundum*, quæ ejus materia, quæ methodus, quis finis et scopus; *tertium*, quæ ejus partitio, quot membra et partes.

Eccle-
siastes
prolocus
monachus.

Quæritur ergo, *primo*, quæ et quanta hujus libri sit auctoritas, quis et qualis ejus auctor? Respondeo: Auctoritas hujus libri est Canonica sacra: Scripturæ; semper enim hunc librum Hebræi, sequæ ac Greci et Latini habuere in Canone librorum sacræ Scripturæ, nec unquam hac de re dubitatum est; unde semper recensitus est inter libros prolocanonicos, tanquam Canonicus primæ classis. Id patet ex Canon. Apost. Can. ult., ex Concilio Laodiceno et Carthaginensi III, ac Florentino et Tridentino, Sess. IV; S. Athanasio, S. Augustino, S. Hieronymo in *Prologo Galeato*, Innocentio I, Gelasio et cæteris, qui catalogum librorum Canonicorum texuere. Excipio pauculos hæreticos, quos sine nomine recenset Philastrius *hæres. 132*, et Jacobus Christopol. *Prefatione in Cant.*, ac nonnullos Judæos, qui, teste S. Hieronymo in fine *Comment.*, opinati sunt hunc librum favere sectæ epicureorum, scriptumque a Salomone, cum Veneri et ventri indulgeret, quos secutus est Theodorus Mopsuestenus ex monacho apostata, et Nestorii magister, qui videns vanitatem mundi, ac præsertim luxuriam, quam monachus spreverat, et apostata factus repetierat, hoc libro damnari, dixit Salomonem composuisse Ecclesiasten, « cum Prophetiæ gratiam non accepisset, sed tantum illam prudentiæ gratiam, quæ altera est, » uti refertur in Synodo V Constantinopolitano, *Actum. 4*. Hi ergo Ecclesiastæ objiciebant quatuor: *primum*, quod creaturas Dei bonas condemnare videatur ut vanas, cap. 1; *secundo*, quod eodem capite videatur docere eternitatem mundi, cum ait: « Nihil sub sole novum; » et: « Terra in æternum stat; » *tertio*, quod cap. II dicat: « Nil esse melius quam comedere et bibere, » quod si bene videtur esse pecunium, epicureum et voluptuarium; atque huc impigisse Epicurum testatur Clemens Alexandrinus, lib. V *Stromat.*: « Hinc, inquit, Epicuri mentem sublit canis, cum hoc dictum non intellexisset: Vanitas

Quatuor
objec-
ta.

vanitatum » etc.; *quarto*, cap. III, 19, videtur suspectus de anime mortalitate, cum dicit: « Unum interitus est hominis et jumentum. »

Verum ad illa singulis quibusque locis respondebo, ac longe aliam fuisse Salomonis mentem demonstrabo. Lymphaticus Martinus Lutherus, pariter excucullatus, qui malo suo genio actus, effutit, imo insanire ausus est in colloquiis convivialibus: « Auctorem Ecclesiastæ videri sibi ocreis et calcaribus destitutum equitare tantum in soccis, Ecclesiasten esse sicut Thalmud ex variis libris consarcinatum. Adhæc sententias Salomonis quas mense accumbens funderet, fuisse ex ore loquentis exceptas, et postea in libros digestas: » nimirum homo temulentus et assiduus calcem remex Salomonem ex suo metiebatur ingenio; ipse enim non nisi bene potus, et quasi ebrius dictare et scribere consueverat, ideoque ejus scripta insulsa, vomitu, asotia, sordibus, dieteris, conviciis referata sunt, ut non in libris, sed in scyphis studuisse, eaque inter pocula exarasse, imo eructasse et evomuisse videatur. Unde recte de eo cecinit noster Andreas Frusius:

Biblia, quæ tua sunt, sunt pocula bacchica, Luther;
Esti apotheca tua bibliotheca tua.

Auctor ergo libri hujus Canonici primus et primarius est Spiritus Sanctus, qui hæc suggessit et inspiravit Salomoni; Salomon vero eadem prolocutus, deinde conscripsit, aut suo scribæ scribenda dictavit: perinde ut David pater ejus Psalmos et ore cecinit, et calamo conscripsit, ac posteritati consignavit; uterque enim tam viva voce quam scripto docuit populum. Ita consent passim Doctores et Interpretes. Idque patet, *primo*, ex ipso libri initio: « Verba Ecclesiastæ, filii David, regis Jerusalem, » quæ verba non sunt titulus libri, sed ipsum libri exordium; ac prima ejus pars; *secundo*, id ipsum patet ex cap. XII, ubi de se Salomon loquens in tertia persona, disertè asserit: « Ecclesiastes, cum esset sapientissimus, docuit populum, et enarravit quæ fecerat: quæ sivit verba utilia, et conscripsit sermones reconditissimos; » quid clarius? *tertio*, quia passim Salomon hic de se loquitur in prima persona; dicens:



FONDO EDITORIO
VALVERDE Y TELLEZ

VII.

007389

« Eo Ecclesiastes fui rex, vidi, consideravi, lectus sum, reputavi, verti, converti, consideravi, » etc. Hallucinatur ergo R. Moyses Kimchi tractatu *De Scriptura Sacra*, et nonnulli Hebraei, præsertim Thalmudici, quos citat et sequitur Eughubius in cap. 1 *Genes. de civitat. essid. in Melchior Canus*, lib. II *De Locis*, cap. XI, qui censent Salomonem sæpe duntaxat hæc sua scita et parabolas enunna. se, quæ deinde vulgi ore tritas et mente conservatas, post multa sæcula collegerit et conscripserit Isaias, ut scripto ea posteritati mandaret; errant, inquam, uti ostendi *Proverb. cap. xv. 1*. Cur Salomon hic vocet Ecclesiastem, dicam cap. 1, 4. Interim audi obiter S. Gregorium Nyssenum hic, *homil. 1*, tres hujus nominis causas recensentem: *prima* est, quia docet Ecclesiastica, quæ spectant ad salutem anime; *secunda*, quia in unum certum cogit Ecclesiam, ut hæc ejus concionem audiat, qua illum in pietate instruat; *tertia*, quia representat Christum, qui est verus Ecclesiastes, id est Ecclesie fundator, doctor, gubernator, concionator; *quarta* addit S. Gregorius Thaumaturgus, cap. 1, 4, quod doceat totam Ecclesiam.

Porro Hebraei, teste S. Hieronymo, quos sequuntur moderni nonnulli, tractant Salomonem hunc librum scripsisse penitentem, cum scilicet de luxuria et idololatria sua penit. 1., adeoque ex hoc libro probant eum penituisse. Hic enim liber videtur symbolum penitentiae, dum in eo accusat vanitatem luxuria omniumque mundi voluptatum, præsertim dum trecentas habens concubinas et 700 uxores, id est universim mille, eas abdicare et damnare videtur, dicens cap. vii. 29: « Virum de mille unum reperi, mulierem ex omnibus non inveni; » et vers. 27: « Inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est. » Idololatriam vero suam damnare videtur, dum ait: « Vanitas vanitatum, et omnia vanitas; » idola enim in Scriptura vocantur *vana* et *vanitas*, quia cum nil sint nisi statuae et simulacra aurea vel argentea, nil habent veri nominis, nil spiritus, nil vite et virium. Addit noster Pineda Salomonem post penitentiam, ut eam testaretur, primo scripsisse Ecclesiastem, deinde Proverbia, ac ultimo loco Canticum Canticoorum.

Verum hæc traditio incerta est et dubia. Unde Bellarminus, lib. I *De Verbo Dei*, cap. v, quem alii sequuntur, censent Salomonem ante lapsum tres hosce libros scripsisse: *primo*, quia ipse nullam in iis lapsus sui facit mentionem, imo discrete contrarium asserit, dum cap. i dicit usque ad eam etatem secum perseverasse sapientiam: « Et supergressus sum opibus, inquit, omnes qui ante me fuerunt in Jerusalem: sapientia quoque perseveravit mecum; » *secundo*, quia nullam prorsus idololatriæ aut penitentiae suæ dat indicium: quod enim per « vanitas vanitatum » non intelligat idola et idololatriam, patet ex sequentibus tertiæque libro, ubi vanitatem hanc genericam per

spatæ explicans, ostendit eam sitam in opibus, deliciis, honoribus, cantibus, poulis, etc. Nec idoli aut idololatriæ uspiam meminit, quod famem facere debuisset, si de ea vere penituisse, ut ejus scandalum et pravum exemplum, quod subditis dederat, aboleret. Ipse enim regum Israelis primus invehit idola in Judæam, quæ deinde in ea perdurarunt per trecentos annos usque ad Josiam regem, qui ea sustulit; atque hujus mali origo et choragus exstitit Salomon. An non ergo ea destruere; detestari, et omnibus invisâ efficere debuisset, si vere penituisse? sic enim post natam in Israel idololatriam, ut ab ea omnes avocent, in idolorum vanitatem detonant Baruch, cap. vi; Isaias, cap. xli et seq.; cæterique Prophetæ ad unum omnes. *Tertio*, quia si Salomon jam habebat mille concubinas, erat utique totus nervis, carnalis et effeminatus, ut Spiritus Sancti non esset capax, nec tam alta de mundi vanitate, de Dei timore, de æternitate posset meditari et eructare, uti hic facit. « Malum enim virum non est fas esse interpretem nominis, » ait Philo lib. *Quis rerum divinarum hæres*. Denique Ecclesiasticus cap. xlvii, narrans gesta Salomonis, prius ejus scripta, posterius ejus lapsum enarrat. Idem facit Josephus, lib. VIII *Antiq.* pp. ii.

Chaldaeus vero Paraphrastes censet Ecclesiastem a Salomone conscriptum, cum ex Dei oratione, III *Reg. xi. 42 et 29*, didicisset regnum suum tam dives, felix et gloriosum retorturum, et discernendum per schisma Jeroboam, qui sub Roboam Salomonis filio decem tribus a duabus dispescuit, et ad se traduxit, regnumque Israel divisum a regno Juda, cui præfuit Roboam, constituit. Igitur censet Salomonem hic regni sui vanitatem per schisma declarandam deplorare. Audi eum ex interpretatione Complutensi (nam in Bibliis Regiis hæc desiderantur in Chaldeo) cap. 1, 2: « Cum divinationis spiritu prævideret Salomon rex Israel, regnum Roboam filii sui eum Jeroboam filio Nabat divisum iri, et imminente hierosolymis et templo vastitatem, populumque Israel captivum ductum iri, ait: Vanitas vanitatum mundus iste, Vanitas vanitatum id omne, cui ego et vobis operam dedimus, » etc.

Verum hoc oraculum de schismate regni Salomonis contigit post lapsum ejusdem. Fuit enim pena ejus luxuriæ et idololatriæ a Deo juste decreta. Quare quæ priori sententiæ Hebraeorum, opinantium hunc librum a Salomone conscriptum post lapsum, obstant, etiam huic opinioni Chaldaeï officiant. Adde nullam toto libro schismatis futuri mentionem fieri.

Queritur *secundo*, quæ hujus libri sit materia quis stylus, quæ methodus? Respondet: Argumentum Ecclesiasticis est, ait S. Gregorius Thaumaturgus hic initio suæ Paraphrasis, ostendit « quam vana et inutilia sint omnia hominum negotia et studia, quæ in humanis rebus suscipiuntur, » ut homines traducat a sensibilibus ad ea

Clasificatio
hic præ-
dicit
schisma
Israel
a Juda.

quæ sub sensum non cadunt, ait Nyssenus, puta ad caelestia et spiritualia, ait S. Bernardus, serm. 1 in *Canticis*. « Ne quidquam, inquit S. Hieronymus, in mundi rebus putemus esse perpetuum, sed caduca et brevia universa quæ cernimus. » Atque in hoc sensu apex virtutis consistit. Quocirca S. Chrysostomus, hom. 3 ad *Populum*: « Virtus, ait, est omnia humana despiciere, et per omnes horas futura cogitare, nulli inhiare presentium, sed scire quod omnia humana umbra sunt, et somnium, et si quid his vilis. Virtus hominem quasi mortuum ad hujus vite res efficit, et ad poenitentiam quidem anime salutem tanquam mortuum operatione carere, ad spiritualia vero sola vivere et operari. »

Porro veteres tres Salomonis libros ita materia et argumento distinxerunt, ut in Proverbiis autem tractari Ethicam, in Ecclesiaste Physicam, in Canticis Theologiam. Ita Origenes, Prologo in *Canticis*; S. Basilii, hom. 1 in *Proverbia*; S. Ambrosius, in *Psalm. xxxvii*; S. Hieronymus hic, et epistola ad *Paulinum*: « Salomon, inquit, pacificus et amabilis Domino mores corrigi (nempe in Proverbiis), naturam docet (in Ecclesiaste), Ecclesiam jungit et Christum (in Canticis). » Accedit Olympiodorus et alii Patres initio *Catena in Proc.*, qui dividunt Salomonis tres libros in tria rerum genera, nempe: in *Ethica, Physica et Hyperphysica*. Ratio eorum fuit, quod in Ecclesiaste Salomon describat cæli, solis, elementorum, aeris, maris, terræ, ventorum mutationes, circuitus et vicissitudines, quod est objectum Physicæ, scilicet corpus generabile et corruptibile. Verum paucis rem acu tangens Olympiodorus, initio *Catena Proverb.*, respondet: « Ecclesiaste rerum naturalium ratione obiter delibata, presentis vite vanitatem ob oculos ponere. » Quæ re eadem verba sunt Didymi initio *Catena in Ecclesiasten*: « Ecclesiastes, inquit, in eo est, ut rerum naturalium inherens contemplationi, vite presentis detegat vanitatem. » Et *Catena Græcorum in Proverb.* initio asserit, « Ecclesiastem concionando blande provocare ad universalitatis contemplationem, et ea tractare quæ ad animam aliquatenus in virtutum studio progressam faciunt. »

Fixum ergo maneat librum hunc ethicum esse; Physica enim tangit in ordine ad Ethicam, ut scilicet ex rerum naturalium motu, mutatione, intrinse, doceat earum vanitatem; ac consequenter vanos pariter esse homines, qui illis inhiant, ac vana eorum studia, futilia et stulta eorum consilia, cassos et stultos eorum labores, quibus acervandis opibus, vel vinis, vel villis, vel deliciis, vel honoribus per omnem vitam deasant, sui finis ac veræ felicitatis oblit. Hæc enim consistit in Dei timore, obedientia et cultu. Unde Lyranus censet argumentum Ecclesiasticis esse, assignare ultimum hominis finem summumque bonum, in quo sita est hominis felicitas. Cumenim hæc de re fuerint diversissima, quas recenset

Distinc-
tio librorum
Salomonis
etc.

M. Varro, lib. *De Finibus*, puta ducentes philosophorum opiniones et sententiæ: Epicurus enim felicitatem sitam esse censebat in voluptate, alii in sanitate, alii in honore, alii in scientia, alii in divitiis, alii in amicis, etc. Salomon docet hos omnes a scopo et veritate aberrasse, ac veram felicitatem sitam esse in vanitatis mundique contemptu, et veritatis, id est veræ sapientiæ Dei quæ cognitione et cultu, qui consistit in legis virtutisque studio, puta in pietate, temperantia, modestia, humilitate, patientia in adversis, elemosyna, resignatione et spe in Dei providentiam, ejusque religione et observantia. Hæc sunt quæ toto hoc libro pertractat, inculcat et commendat Salomon.

Verum enim vero Deus præ cæteris Prophetis, unum Salomonem hujus vanitatis mundi præconem elegit et constituit, eo quod ipse omnes omnium honorum et gaudiorum mundi voluptates expertus, meram in omnibus vanitatem reperit. Ne quis enim diceret, illique objiceret: Mira asseris de vanitate omnium creaturarum; nescio an ita, ut dicis, res esse habeat: multas enim mihi non contigit experiri, imo multas ne novi quidem; occurrit Salomon: Ego omnes expertus sum et quasi manibus tractavi, ac experientia didici in omnibus nullum verum esse gaudium, sed meram vanitatem, umbram et fœcum. Quare ordinate singula recensens, subiungit singula esse vana. Unde Nyssenus ait: « In Ecclesiaste est ordinata quedam totius vite Salomonis confessio, et omnium operum enarratio. »

Hinc Georgius Elerus, *Econom. Bibl. lib. II*, hunc librum vocat *Schillogium Salomonis*, quod in eo solus Salomon loquitur de rebus sublimibus qualia sunt *Soliloquia* S. Augustini, Thomæ a Kempis, S. Bonaventuræ et aliorum, in quibus anima sola secum vel cum Deo colloquitur.

Quoad ordinem et methodum, ordo librorum Salomonis hic est: In Proverbiis instituit puerum, et unque docet prima et communia ethice, morumque honestiorum rudimenta. In Ecclesiaste informat juvenem proficientem, eumque a terrena vanitate ad caelestem veritatem traducit. In Canticis docet virum perfectum unire se Deo, ut illi lotus per amorem et contemplationem inhaereat, in eoque conquiescat. Ita censent Origenes, Nyssenus, Theodoretus, S. Gregorius Præfatione in *Canticis*, et alii passim. Audi Anacretum *Catena Græc.*, initio *Proc.*: « Proverbia, inquit, spectant ad hominem spiritualis vite viam primum ingressum; Ecclesiastes ad animam aliquatenus in virtutum studio progressam; Canticum ad anime in virtutibus jam consummate statum. » Audi et Luculentius S. Bernardus, serm. 1 in *Canticis*: « Deinde cum duo, inquit, sint mala, quæ vel sola, vel maxime militant adversus animam, vanus scilicet amor mundi, et superfluum sui, pesti ubique duo illi libri Ecclesiastes et Proverbia obviare noscuntur: alter sacro discipline prava queque in moribus et carnis superflua-

secans, alter luce rationis in omni gloria mundi fucum vanitatis sagaciter deprehendens, veraciterque distinguens a solido veritate. Denique universis humanis studiis ac mundanis desideriis prætulit Deum timere, ejusque observare mandata. Et post nonnulla : « Depulsis ergo duobus malis duorum lectione librorum, competenter sceditur ad hunc sacrum theologicum sermonem (*Canticorum*), qui, cum sit amborum fructus, nonnisi sobriis mentibus et auribus omnino credendus est. Alioquin ante carnem disciplina studii edomitam et mancipatam spiritui, ante præcceptam et abjectam sæculi pompam et sarcinam, indignè ab impuris lectio sancta præsumitur. » Igitur ex mente S. Bernardi in Ecclesiaste pellitur vanus amor mundi, in Proverbiis superfluous amor sui, in Canticis præscribitur castus amor Dei. Quocirca Salomon utitur hic stylo virili, acri, vehementi et vere regio, qualis et materiam et auctorem decebat.

Paphnutius Abbas apud Cassianum, *Collat.* III, p. vi, tres Salomonis libros triplici abrenuntiationi gradatim ita accommodat : « *Prima* est, inquit, qua corporaliter universas divitias, mundique facultates contemnimus; *secunda*, qua mores et vitia, affectusque pristinos animi carnisque respiciamus; *tertia*, qua mentem nostram de præsentibus universis ac visibilibus evocantes, futura tantummodo contemplantur, et ea que sunt invisibilia concupiscimus : que tria ut simul perficiantur, etiam Abrahæ legimus Dominum præcepisse, cum dixit : Exi de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui. *Primum* dixit : Exi de terra tua, id est de facultatibus mundi hujus, opibusque terrenis; *secundo*, de cognatione tua, id est de conversatione et moribus vitiosis que prioribus que nobis a nostra civitate coherentia, velut affinitate quadam et consanguinitate cognata sunt; *tertio*, de domo patris tui, id est de omni memoria mundi hujus, que oculorum occurrit obtutibus. » Et sub finem capituli : « His tribus abrenuntiationibus proprie tres libri Salomonis aptantur. Nam Proverbia primæ abrenuntiationi conveniunt, quibus concupiscentie carnalium rerum ac terrenæ vitia rescantur; secundæ abrenuntiationi Ecclesiastes, ubi universa que aguntur sub sole vanitas pronuntiatur; tertiæ, Canticum Canticorum, in quo mens visibilia cuncta transcendens, verbo jam Dei celestium rerum contemplatione conjungitur. » Simile habet S. Hieronymus ad Paulinum, eujus verba recitavi initio Proverborum.

Allegorice, B. Petrus Damianus, serm. 1 *De Nativitate B. Virginis*, hæc tria Salomonis nomina, tresque ejus libros adaptat Christo, qui inquit : « Filius Regis et Rex, nec solum Filius Dei, sed etiam Deus, Salomon, id est pacificus est nobis in hoc exilio; Ecclesiastes, id est concionator, erit in judicio; Iddida, id est solus,

erit in regno; in exilio amabilis, in judicio terribilis, in regno admirabilis; in exilio pius, in judicio justus, in regno gloriosus. Vide autem si non ubique rex : in exilio rector morum, in judicio discretor meritorum, in regno periorum distributor, simulque considera, quia non Ecclesiastes, non Iddida, sed Salomon tam gloriosum opus facere prænotatur. »

Censet S. Gregorius Nazianzenus, *Poemata* 33, et Damascenus, lib. IV *De Fide*, cap. xviii, Ecclesiasten, æque ac Proverbia et Cantica, Hebræo carmine et metro esse conscripta. Audi Nazianzenum : « Quinque metris constant, Job, David, tres Salomonis, Concio (Ecclesiastes), et insignes Cantus, Proverbia sacra. » Verum, cum in Ecclesiaste Salomon agat concionatorem, melius alii censent non metro, sed oratione soluta esse scriptis. Est enim hic perpetua concio, eaque incitata et acris de vanitate mundi, in qua omnes affectus concitat, ut eam lectori ad vivum representet et persuadeat. Quocirca in ea utitur crebris et pungentibus interrogationibus, contentis exclamationibus, cæterisque figuris rhetoricis. Subinde tamen immiscet carmina, vel quasi carmina, quale est illud : « Vanitas vanitatum, et omnia vanitas : Tempus tacendi, tempus loquendi, etc. Deum time, et mandata ejus observa : hoc est enim omnis homo. » Adde omnia posse dici carmina et metra generali acceptione, quia scilicet sententiosa sunt, acuta et arguta, æque ac brevia et concinna. Qua ratione S. Hieronymus, *Præfat. in Job*, asserit in sacra Scriptura, præsertim Hebræa, esse « rhythum quemdam dulcem, et tinnulis numeris pedum solutum. » Sic omnis numerosa oratio dici potest metrum et carmen. Huc facit quod liber hic refertur sit elegantibus parabolis, similitudinibus, enigmatibus, que quid validicum et divinum resonant, ac plus significant, quam prima fronte ostendunt. Sic Lucilium suam a stylo simili concionantis Seneca, *epist.* 39 : « Loqueris, ait, quantum vis, et plus significas quam loqueris. Hoc majoris rei indicium est : apparet quoque animum nihil habere supervacui, nihil tumidi. »

Denique Prophete vocantur *vates* et *poeta*, ac proinde propheta ipsorum vocari potest *metrum* et *carmen*. Salomon autem fuit Propheta, et veras proprieque dictas edidit prophetias, ut ostendit *Proverb.* xxx, 1. Quanquam in Ecclesiaste vix sit ullam talem invenire. Quod ergo ait S. Augustinus, lib. XVII *De Civitate*, cap. xx : « Salomonem in tribus suis libris prophetasse, » vel synecdochice accipe, quod scilicet in partibus quibusdam triplicis hujus sui voluminis proprie prophetavit, puta *Proverb.* xxx, 1 et 2, ac in Canticis, ubi perpetua est propheta de Christo et Ecclesia; vel ample accipe *prophetasse* pro *eloquia reserasse*, Dei voluntatem explicuisse, divinas sententias et Canonicos libros didicisse. Sic enim omnis Canonica Scriptura vocatur *prophetia*

a S. Petro, *episto* II, cap. 1, vers. 20. Denique Chaldeus censet Salomonem hic vere prophetasse de futuro schismate Jeroboam; sic enim habet ex editione Complutensium : « Verba prophetie que propheta vit Ecclesiastes; ipse est Salomon, filius David, rex, » etc. Ex interpretatione vero Costi : « Verba præ-sagitionis, quam vaticinatus est concionator Salomon, filius David, rex Jerusalem. Cum divinationis spiritu prævideret Salomon rex Israel, regnum Roboam filii sui cum Jeroboam filio Nabat divisum iri, et imminentem Hierosolymis et templo vastitatem, populumque Israel captivum ductum iri, » etc. Igitur Ecclesiastes ut Proverbiis est altior, perfectior et sublimior, sic et iisdem obscurior est et difficilior. Quocirca Philastrius asserit « Ecclesiasten paucis quidem conscriptum sententiis, omnem tamen thesaurum celestis scientiæ quærentibus continere. » Et S. Ambrosius, lib. *De Tobia*, cap. xiii, jubet huic libro inhaerendum, ut qui bonus sit ad omnia magister.

Finis et scopus hujus libri est, docere veram sapientiam, scilicet qua discernamus vanitatem a veritate; nimirum ut cognoscamus vana esse omnia que in terris se ostentant, alliciunt et abblatuntur; vera vero et solida esse, que in cælis sunt, ut ex hoc dispari cognitione assurgamus ad mundi, utpote vani, contemptum, ac ad cæli Deique, utpote veri solidique, amorem et desiderium. Tanta enim est vanitatis in hoc mundo exterior species et forma, tanta illecebra, tantus fucus, ut mens hominum, nisi a Deo et Salomone edoceretur, in ea vanesceret, falsaque sumeret pro veris, vanisque concupiscentiis et peccatis absumeretur, et velut fumus in mortem secundam evanida contabesceret. Hunc ergo vanitatis rerum omnium fucum et larvam detegit hic Salomon, docetque terrena et vana spernere, ac celestia ut vera ambire, in quo consistit vera sapientia. Ita censet S. Augustinus, lib. XX *De Civitate*, cap. iii : « In hac vanitate, inquit, cui quantum satis visum estimanda totum istum librum vir sapientissimus deputavit, non aliunde ob aliud, nisi ut eam vitam desideremus, que vanitatem non habet sub hoc sole, sed veritatem sub illo qui fecit hunc solem. In hac ergo vanitate, nunquid nisi justo Dei rectoque judicio similis eidem vanitati factus vanesceret homo? In diebus tamen vanitatis sue interest plurimum, utrum resistat, an obtemperet veritati, et utrum sit expers veræ pietatis, an particeps : non propter vitæ hujus vel bonæ acquirendæ, vel malæ vitæ vanitatis transuentia, sed propter futurum judicium, per quod erunt et bonis bona, et malis mala sine fine mansura. » Denique in subjectis : « Denique iste sapiens hunc librum ista conclusit, ut diceret : Deum time, et mandata ejus observa, quia hoc est omnis homo; quia omne hoc opus Deus adducet in judicium in omni despecto, sive bonum, sive malum. Quid verius et salubrius dici potuit?

Deum, inquit, time, et mandata ejus custodi, quia hoc est omnis homo. Quicumque enim est hoc, est custos utique mandatorum Dei : quoniam qui hoc non est, nihil est. Non enim ad veritatem imaginem reformatur, remanens in similitudine vanitatis. » Hincque S. Augustinus. Unde S. Hieronymus commercliarium in *Ecclesiasten* scripsit ad Blasillam S. Paulæ filiam primogenitam, hoc finem ut ei mundi contemptum persuaderet. Audi eam in præfatione *Comment.* : « Memini me ante hoc ferme quinquennium, cum adhuc Romæ essem, et Ecclesiasten sanctæ Blasillæ legerem, ut eam ad contemptum mundi hujus provocarem, et omnem quod in mundo cerneret, putaret esse pro nihilo, rogatum ab ea ut in morem commentarii obscura queque disserterem, ut absque me posset intelligere que legebat. Itaque, quoniam in procieta nostri operis subita morte subtracta est, et non meruimus, o Paula et Eustochium, talem vitæ nostræ habere consortem, tantoque vulnere tunc percussus obtinui, nunc in Bethlehem positus, angustiiori videlicet civitate, et illius memorie et vobis reddo quod debeo. »

Porro crebra hujus vanitatis mundi prædicatione S. Hieronymus, S. Paulinum, Pammachium, S. Paulam, ac Romanam nobilitatem ad mundi contemptum, et ad secessum in Bethlehem pertraxit. Ergo Salomon hoc libro locorem a vanitate, id est ab amore mundi avocet, traducitque ad amorem Dei : Deus enim est ipsa veritas, infinitas, soliditas, stabilitas, æternitas. Unde S. Gregorius Nyssenus, lib. *De Vita Moysis*, agens de visione Dei in rubo ardenti Moysi exhibita, veritatem definit esse ipsum Deum. Sic enim ait : « Hæc enim est (ut ego sentio) veritatis definitio, firma Eius qui est intellectio; falsitas enim est phantastica quedam circa id quod non est comprehensio, quasi subsistat quod non est; veritas autem est, ejus quod vere est firma intellectio. Longis autem spatiis temporum altiori per quietem animo meditari oportet, ut firmier intelligere possis quid sit quod vere est, quod natura sua est; quid quod non est, quod solum esse videtur, cum per se atque natura sua minime subsistat. Illustrat idipsum visione Moysis. Mihi enim videtur magnus ille Moyses ea in visione didicisse, nihil eorum rerum que aut sensu comprehenduntur, aut mente perscipiuntur, præter supremam essentiam, que omnium causa est, et a qua omnia dependent, vere subsistere. In nullo enim ceterorum impendientia (independentiam vocant Scholastici) perscipi potest, ita quod absque participatione veri Entis possit esse. Solum id eodem modo semper se habet, nunquam augetur, nunquam minuitur, æqualiter ad omnem mutationem, tam ad pejus quam ad melius immutabile; pejus enim ibi aut malum non est, melius inveniri non potest. Quare solum nulla re alia indiget, et solius cuncta indigent; solum cuncta appetunt, solum cuncta participant, et que

participant, per participationem et sunt et bene sunt. Quod autem participatur, nunquam immittitur. Id igitur profecto est quod vere est, et hujus veri Entis intellectio, ad quam tunc accesserit Moyses.

Denique Albinus, præceptor Caroli Magni, Præfatione in *Eccle.*, ait se commentarium in eundem scribere, ut extractos e monasterio ad munia Ecclesiastica Oniam sacerdotem, id est Episcopum, Candidum presbyterum, et Nathanaelem diaconum a mundi vanitatibus præmiret; atque de vana possessione divitiarum in hujus sæculi deliciis sapientissimum Salomonem totum composuisse hunc librum, quem hortatur ut semper pro magistro habeant in manibus.

Queritur, tertio, quenam hujus libri sit partitio, quæ et quot partes? Hugo Victorinus, et post eum Richardus de S. Victore, lib. III *super Apocal.* part. II, cap. vii, censent tres libri esse partes, quibus triplex hominis vanitas describitur: prima mutabilitatis, *secunda* mortalitatis, *tertia* curiositatis; aut, ut S. Bonaventura, vanitas nature, culpæ et miseria.

Verum dico duas primarias Ecclesiasticas esse partes. Prior est a cap. I usque ad cap. vii, qua ostendit omnes res mundi sublunaris, quas homines vani magnas aestimant, inanes esse et vana, ac proinde vanam esse felicitatem quæ in iis collocatur. Posterior a cap. vii porrigitur usque ad finem, qua depulsa vanitate, demonstrat veritatem veramque felicitatem sitam esse in virtute, ac Dei timore et cultu. Igitur primo statim capite eos refellit, qui scientia summum bonum metiebantur; secundo item ac tertio capitibus eos redarguit, qui in voluptate finem bonorum ut Epicurei colerant; quarto capite, eos qui in honoribus; quinto et sexto eos confutat, qui in divitiis et opibus felicitatem possunt. Prior itaque hæc capitulum sex portio in refellendis alienis occupatur; altera vero totidem capitulum pars in confirmanda sua sententia versatur. Igitur cap. vii de tribus bonorum generibus disserit, *animi*, inquam, *corporis* et *fortuna*, deque contrariis malis. Quis horum omnium sit usus, utque res omnes nostre a divina pendeant providentia, luculenter ostendit. Hinc ad finem usque libri de ista pie ac iuste tractanda, quo tandem Deo conjugamur, et felicitate perfruamur æterna, concionatur.

Porro in hisce multa stant axiomata vitæ, juxta veritatem veramque prudentiam instituentia, quæ sunt: Humanam scientiam non efficere hominem felicem: vitam esse brevem et mille mutationibus obnoxiam: humanos errores moresque per sæcula succedentia, et circulantia quasi in orbem redire, atque eosdem fuisse omnibus sæculis communes: nihil sub sole esse novum: voluptatem efficere stultitiam et stultos: felicitatem non esse sitam in dominata, in uxore et filiis egregiis, in longiore vita aut funeris pompa; adeo-

que illam non esse querendam in præsentis vitæ, sed in futura et æterna: virtutem præstare opibus, robore alisque corporis dotibus: cogitandum esse Dei iudicium et providentiam: felicitatem parari obedientia divinæ legis, operibus misericordie, mortificatione cupiditatum, animi lenitate et pace: principem esse colendum: principem debere esse justum, sobrium, placidum, cupiditatum dominum, sapientes et probos honorantem, liberalem, et qui subditis de annona ceterisque vitæ commodis abunde prospiciat, quippe qui se mortalem sciat, et ejusdem cum subditis esse nature et sortis: cogitandum de ingructe senio et morte: denique sapientem et felicem esse, qui illud ubique præmeditatum habet et observat: « Deum time, et mandata ejus observa; hoc est enim omnis homo. »

Rursus hunc librum cum Lyranus minutius sic dividat per singula capita, ut in illo totidem pene, puta decem vanitates recensentur: nimirum in capite primo, immoderatam sciendi studium; in secundo, appetitum deliciarum; in tertio, vitæ longioris desiderium; in quarto et quinto, ambitio dominii dignitatisque; in parte quinti et in sexto toto, cupiditas divitiarum; in septimo, divitiarum ars ac prescientia futurorum; in octavo, venandi laudis et famæ; in nono, fortune consecutio; in parte noni et in decimo toto, corporis robur; in undecimo et duodecimo, specimen ætatis floridæ.

Interpres qui in Ecclesiasten commentariis suis extant permulti, tam veteres quam recentiores. Ad sexaginta numerat Fabianus Justinianus in calce in laicis sui universalis, ubi catalogum Interpretum S. Scripture contexti. Illustriores hæc recensentur, quorum opera usus et adjutus sum, sicut S. Hieronymus initio Commentariorum suorum recensere solet Origenem, Didymum, Apollinarianum, etc., quos toto opere secutus sit, ne identidem illos commemorare sit opus: nimirum humilitatis est agnoscere unde profeceris; æquitatis, cuique quod suum est reddere; gratitudinis, beneficium beneficio rependere, ac laudem doctrine et doctori refundere. Ea de causa cum sententias auctorum recito, ipsis sepe eorum verbis utor, ut intentum liquet illa ipsorum esse, non mea. Præclare Plinius, Præfat. ad *Vespasianum*: « Obnoxii profecto, inquit, animi et infelices ingenii est deprehendi in furto mille, quam tantum reddere, cum proscriptum sors fiat ex usura. » Præclarus S. Basilii, epist. 1 ad *Greg. Nazianz.*: « Neque vero, inquit, ad discendum verendum esse oportet, nec ad docendum malignum: quod ab alio tute didiceris, nequaquam clam habendum; ejusmodi facere mulieres improbe solent, que ex aliis ipse quæsitos liberos, viris sui tollendos subjicunt, patrem ementientes. Auctorem vero ipsum prodere grata commemoratione decet, verumque ipsius scientie parentem. »

Primus ergo post Septuaginta, Aquilam, Symmachum, Theodotionem et Syrum, interpres est

Decem
vanitates
decem
capitibus
premeditatur.

Interpre-
tes Eccle-
stæ.

S. Hieronymus
his ver-
tis libris
Relecto-
ribus.

Chaldaeus Paraphrastes, qui putatur fuisse Joseph cæcus. Sicut enim Onkelos Pentateuchum, et Jonathan Prophetas, sic Joseph cæcus libros Salomonis cæterosque Hagiographos, puta Job, Psalmos, Regum, Ruth ex Hebræo in Chaldaeum converterit, satis genuine et consentaneæ ad Vulgatam Latinam, qua ratione utilis est; nam cum vocis Hebræe sensum fideliter reddidit, quia tamen Judæus post Christum exstitit, hinc judaizat, et pleaque ad Judaicam Synagogam et supersitionem detorquet, ac hinc inde miscet fabellas Rabbincas: multa ex eis succidit, et expurgavit Arias Montanus in Chaldaica Paraphrasi, quam Bibliis Regiis attexit, at non omnia.

Secundus tempore, sed dignitate primus est S. Gregorius Episcopus Neocesariensis, ob miraculorum gloriam cognomento Thaumaturgus, qui Ecclesiasten per metaphrasin « brevissimam et admirabilem, » ait Suidas, explicuit. Divina enim sua sapientia, faundia, acuminis, novitate lectorum mire docet, mulcet, pungit et stimulat.

Tertius est R. Haccados, quem passim citat Galatinus, lib. *De Arcanis fidei*; sed hic allegoricus potius est quam literalis, et allegorias habet communis non absimilis.

Quartus est S. Gregorius Episcopus Nyssenus, frater S. Basilii, qui octo homilias disertas sane et doctas in Ecclesiasten elaboravit, quibus ipsemet Ecclesiasten agit, ac lectorem ad vanitatis mundi contemptum, velut orator christianus extimulat.

Quintus est S. Hieronymus, qui more suo littera inherens, genuinum primum ejus sensum dilucide reddit, deinde mysticum attexit: merito sui avi phoenix, ac in S. Scriptura explicanda doctor maximus, Ecclesie totius elogio celebratur.

Nota: S. Hieronymus bis transtulit Ecclesiasten, Proverbia, et Cantica: primo, corrigendo veterem et antiquam Vulgatam editionem Latinam juxta versionem Septuaginta a qua manavit: quare Græcos Septuaginta in Latinum transtulit, itaque veterem editionem suæ puritati restituit; secundo, immediate illa ex Hebræo transferendo in Latinum. Hæc ita se habere docet ipse S. Hieronymus hic in Proœmio; ac disertè, lib. II *Contra Rufinum*, ubi sic ait: « Salomonis etiam libris, quos olim juxta Septuaginta additis obelis et astericis in Latinum verteram, ex Hebræo transferens, et dedicans SS. Episcopis Chromatio et Heliodoro, hæc in præfatione meæ sine subscripsi: si cui sane Septuaginta Interpretum magis editio placeat, habet jam a nobis emendatam. » Prior ergo versio S. Hieronymi facta est ex Græco, posterior ex Hebræo jussu Damasi Pontificis, quam proinde recepit Ecclesia, estque Vulgata nostra editio Latina. Utraque exstat in Commentario S. Hieronymi, in quo tamen non posteriorem suam interpretatur vel modestè ergo, vel quia nova erat; sed priorum Septuaginta utpole veterem et Vulgatam tunc editionem, quæ a posteriori, puta a Vulgata mo-

derna satis discrepat, ac proinde Commentarius S. Hieronymi parum facit ad elucidationem Vulgatæ modernæ. Porro S. Hieronymus in posteriori accommodat se Septuaginta, ubi ab Hebræo nihil vel parum distat: alias sequitur Aquilam, Symmachum et Theodotionem, sed præ omnibus Hebraicam veritatem, cujus sensum verum et genuinum, ut clare representat, subinde non verbum verbo, sed sententiam sententia quasi paraphrasticè exprimit: hoc enim est munus fidelis et genuini interpretis, uti suis locis videbimus.

Scutus est Olympiodorus, partim paraphrastes, partim scholastes, partim commentator, qui breviter, sed utiliter Ecclesiasten explicuit: ita enim expliat, ut lectorem ad virtutem et pietatem excitet.

Septimus est Salonius Eucherii filius, et Salviani discipulus, anno Domini 470, qui mysticè et breviter Ecclesiasten explanat. Idem facit Albinus, sive Alcuinus, Bede discipulus, et Rabaii magister. Salonii Commentarius in Proverbia et Ecclesiasten idem plane ad verbum exstat in Honorio Augustodunensi presbytero, qui, teste Trithemio et Bellarmino, floruit anno Domini 1220; nisi quod initium libri sit transpositum. Nam quæ de tribus nominibus Salomonis initio Ecclesiasten, eadem Honorius ponit initio Proverborum. Rursus parvula in fine Proverborum, quæ ponit Salonius, decurtat et omittit Honorius. Reliqua, ut dixi, sunt eadem ad verbum. Porro Salonius editus exstat tomo V *Biblioth. Patr.*; Honorius vero, tomo sive sæculo XII, juxta editionem Coloniaensem.

Octavus est Hugo de S. Victore, qui ex S. Gregorio (hujus enim Commentarii manuscripti in Ecclesiasten exstant in monasterio Cavensi) homil. 19 in *Ecclesiasten* conscripsit, quibus floridè et acute singulas quatuor primorum capitulum sententias, imò singula verba discutit, exugit, ac melè sacre ethices ad morum conformationem elicit et conficit. Fuit Hugo vir apprime doctus, facundus et religiosus, monasterii S. Victoris (unda vocatus est de S. Victore) Parisiis Abbas, coævus et familiaris S. Bernardo, sui sæculi lumen, adeo S. Augustini doctrinam et phrasim æmula-tus, ut « Augustini lingua » sit nuncupatus. Moriens cum, allata S. Eucharistia, ob stomachi nauream eum sumere non posset, am adorans: « Ascendat, inquit, illus ad Patrem, et servus ad Dominum suum. » Itaque factum.

Novus est S. Bonaventura, qui scholasticè Ecclesiasten pertractat.

Decimus est Hugo Carenensis, primus e S. Dominici Ordine Chaldaicus, qui obiter litteram perstringens, mystico sensui se mancipat, in eoque rimando acutus est, ac et copiosus.

Undecimus est Nicolaus Lyranus, qui hebraice non adamussim peritus, passim sequitur Rabbinos, præsertim R. Salomonem, ut ipsismet fata-

tur in fine lib. *Different. veteris ac novi Testamenti*. Hos secuti sunt Dionysius Carthusianus, Cardinalis Cajetanus, qui duobus suis Rabbini in Testamento veteri, ac Erasmo in novo plus æquo confidens, novam eorum versionem edit et snopse ingenio nove explicat, a Vulgata et Patribus sæpe discedens. Item Franciscus Titelmannus, vir eruditus et religiosus, Joannes Ferus, Gerardus Moringus, Hieronymus Osorius, Joannes

Campensis, Isidorus Clarius, Franciscus Vatabius, ac e Societate nostra Joannes Lorinus breviter, sed accurate; et Joannes Pineda, qui uti fusissime, ita plenissime Ecclesiasten explavit. Ego ex omnibus hisce succum exprimam, mellilegium faciam, illudque methodice, paucis clare more meo lectori hauriendum propinabam; ac non pauca ex meipso addam, quæ æterna Patris sapientia mihi suggerere dignabitur.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Præponit thema libri: Vanitas vanitatum, et omnia vanitas, illudque probat primo, ex verum omnium circulatione: omnia enim, cæcum sol, spiritus, flumina in orbem eunt et abeunt; quare nihil sub sole novum. Secundo, vers. 12, ex scientiis, et studio sciendi, in quo magna elucet vanitas; quia qui addit scientiam, addit et laborem et dolorem.

1. Verba Ecclesiastæ, filii David, regis Jerusalem. 2. Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes: vanitas vanitatum, et omnia vanitas. 3. Quid habet amplius homo de universo labore suo, quo laborat sub sole? 4. Generatio præterit, et generatio advenit: terra autem in æternum stat. 5. Oritur sol, et occidit, et ad locum suum revertitur: ibique renascens, 6. gyrat per meridiem, et flectitur ad aquilonem: lustrans universa in circuitu pergit spiritus, et in circulos suos revertitur. 7. Omnia flumina intrant in mare, et mare non redundat: ad locum, unde exeunt, flumina revertuntur ut iterum fluant. 8. Cunctæ res difficiles: non potest eas homo explicare sermone. Non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur. 9. Quid est quod fuit? ipsum quod futurum est: quid est quod factum est? ipsum quod faciendum est. 10. Nihil sub sole novum, nec valet quisquam dicere: Ecce hoc recens est: jam enim præcessit in sæculis, quæ fuerunt ante nos. 11. Non est priorum memoria: sed nec eorum quidem, quæ postea futura sunt, erit recordatio apud eos, qui futuri sunt in novissimo. 12. Ego Ecclesiastes fui rex Israel in Jerusalem, 13. et proposui in animo meo quærere et investigare sapienter de omnibus, quæ fiunt sub sole. Hanc occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum, ut occuparentur in ea. 14. Vidi cuncta, quæ fiunt sub sole, et ecce universa vanitas, et afflictio spiritus. 15. Perversi difficile corriguntur, et stultorum infinitus est numerus. 16. Locutus sum in corde meo, dicens: Ecce magnus effectus sum, et præcessi omnes sapientia, qui fuerunt ante me in Jerusalem: et mens mea contempta est multa sapienter, et didici. 17. Dedi que cor meum ut scirem prudentiam, atque doctrinam, erroresque et stultitiam: et agnovi quod in his quoque esset labor, et afflictio spiritus: 18. eo quod in multa sapientia, multa sit indignatio: et qui addit scientiam, addit et laborem.

1. VERBA ECCLESIASTÆ, FILII DAVID, REGIS JERUSALEM. — « Ecclesiastæ, » id est Salomonis. Patet ex ipso verborum tenore et sententia, hunc non tam esse libri titulum, ut censere S. Gregorius Nyssenus, *hom. 1*, Hugo Victorinus et Hugo Cardinalis, Dionysius et alii, quam ipsum libri exordium. Hic enim liber incipit, hinc ad marginem notatur primus primi capitis versus. Ideo

famen desumptus est libri titulus et nomenclatura, ut vocetur Ecclesiastes, quod nomen stolidè improbat Lutherus in *Collog. Conviv.*, dicens hunc librum non esse Ecclesiasten, sed *Politica* vel *Œconomica* Salomonis nuncupandum: qua in re toti Ecclesiæ Patribusque omnibus, qui eum Ecclesiasten vocaverunt, contradicunt, eosque inscitiam arroganti supercilio coarguit.

VERBA. — Verbum dicitur a *erberatu*, quod verberato lingua intra palatum aere, omnis oratio proferatur, ait P. Consentius et S. Augustinus. Varro vero verbum a veritate deducit, quasi *verum*: quod verum nos loqui oporteat. Talia sunt verba S. Scripturæ, sive verba Dei, puta oracula verissima, gravissima, saluberrima. Unde Abenezra: « Verba Ecclesiastæ, » hoc est, inquit, non vulgaria, sed ex corde ad animum ascendentia, utpote quæ vanitatem a veritate discernant, viamque ad veram felicitatem digito ad fontem intento omnibus palam demonstrant.

ECCLESIASTÆ. — Hebraice קהלת *Cohelath*, id est congregatoris, collectoris, concionatoris. Radix enim קהל *kahal* significat congregare cætum, et ad eum verba facere. Unde קהלה *kehilla* vocatur congregatio, cætus, ecclesia, concio. Concio enim tam cætum populi, quam orationem ad populum significat.

Quæres primo, cur Salomon hic hebraice vocetur *Cohelath*, græce indeque latine Ecclesiastes? Respondet primo, Jacobus Christophol. Præfation. in *Cant.*, eum vocari *Cohelath*, id est collectorem, quod gnomas et sèlle dicta Davidis patris sui, cæterarumque Patriarchorum et Prophetarum hoc libro coacervavit, et in unum collegerit. Verum hoc parum est probabile. Salomon enim cum esset sapientissimus mortalium, non eguit aliunde corradere sapientiam, qua ipse a Deo donatus et repletus erat: suam ergo hic promittit, et non alienam.

Secundo, Cajetanus censet Salomonem dici *Cohelath*, id est collectorem, quod omnes vanitatis mundi modos et species hoc libro collegerit, easque ad vivum oculis subjecerit, atque, ut addit Arias Montanus, quod enumerans singulas res mundi, mox subjecit ciphram 0, dicens iteransque: « Vanitas vanitatum, et omnia vanitas. » Ciphra enim 0, si sola ponatur, esto multiplicetur, nil valet, nullumque indicat numerum, ideoque vanitatis et nihil est index et nota. Verum hoc arctius et frigidius est.

Tertio, alii, eo quod, inquit, anima Salomonis (*Cohelath* enim est femininum) cunctas in se scientias congregasset, vel potius Deus congregatas, et in unum collectas in Salomonis sinum effudisset. Aut, ut Nyssenus, quod Ecclesiastes colligat omnia quæ ad probam Ecclesiæ pertinent administrationem, hoc est, per quæ quis probe et ex virtute vitam insititatur. Aut, ut David de Pomis, quod universas philosophorum de summo bono, in quo sicut est felicitas, sententias (quas Varro, lib. *de Finibus*, ducentas enumerat) summamque perstringat et confuset. Aut, ut alii, quod universas voluptates rerum omnium, quas expertus est, congreget, earumque vanitatem ostendat.

Quarto, melius alii censent Salomonem dici Ecclesiasten, quod ex confuso hominum cætu et tumultuante turba fecerit ecclesiam ordinatam, palam et piam concionando et persuadendo ei,

ut relicti vanis spebus et rebus amet et colat Deum verum. Ita S. Gregorius, *IV Dialog. cap. iv*: « Hic liber, inquit, concionator dicitur. In concione vero sententia proponitur, per quam tu multo sæpe turbæ sententia comprimitur. Sed concionator verax quasi extensa manu tumultus omnium sedat, eosque ad unam sententiam revocat, cum in ejusdem libri termino ait: Finem loquendi pariter omnes audiamus: Deum time, et mandata ejus observa; hoc est enim omnis homo. »

Quocirca Salomon hic representat Christum, qui cum verus Ecclesiastes Ecclesiam sanctam formavit, insituit, docuit tam verbum quam exemplo. Ita Nyssenus et Olympiodorus: « Ecclesiastes, inquit, vocatus est, tanquam cunctos mortales in Ecclesiæ cætum vocans, et in concordiam necens. »

Quinto et genuine, Salomon dicitur *Cohelath* et *Ecclesiastes*, id est congregator et concionator, quod populi cætum convocans, ad illum concionatus sit de vanitate rerum mundanarum, deque veritate virtutis et timoris Dei. Ita S. Athanasius in *Synopsi*, Salomus, S. Gregorius, lib. *IV Dialog. cap. iv*, Bonaventura et alii; quoque eandem concionem scriptis mandans, ad universam Ecclesiam sæculorum omnium transmissit. Omnis enim ecclesia et respública omni ævo et sæculo sua habuit comitia, suos populi cætus, suas conciones, in quibus principes, senatores vel oratores perorabant de his quæ ad rempublicam vel ad civium certorum causas litesque spectabant. Ita fecere Græci; Athenienses sub Solone, qui universa a se statuta permisit concionis arbitrio; Spartani sub Lyeurgo; Romani sub Romulo, et magis sub Consulibus; Hebræi sub Mose, Josue, Davide, Salomone et cæteris.

Porro cathedra, ex qua Salomon concionabatur, erat solium regale, quod ipse ad hanc rem extruxit, *III Reg. vii. 7*: « Porticum quoque solii, inquit, in qua tribunal est, fecit Salomon, et texit lignis cedrinis a pavimento usque ad summitatem. » Similis concio Salomonis ad populum in dedicatione templi ab eo edificati recensetur *III Reg. vii. 14*. Audi S. Athanasium: « Ecclesiastes, ait, vocatus est, quia ad populum ipse concionatus est, et que spiritus sunt, locutus; » et, ut Thaumaturgus, « quia his verbis universam Dei Ecclesiam affatur. »

Sic Moses legislator et dux Israelis crebro concionatus est ad populum, cum ei legem Dei promulgaret et inculcavit, ut patet *Exod. cap. xx* et seq. Imo Deuteronomium non est aliud quam ardens et contenta concio, qua Moses moriturus Israelæ ad studium legis cultumque Dei adhortatur. Similem eandem de re concionem ad populum habuit successor Moses Josue, jam moriturus, *cap. ult.* et *Joh. cap. xxix*; Samuel, *I Reg. xii. 7*; Mahathias, *I Machab. ii. 49*; ac David, *Psal. xlviii. 2*: « Audite, ait, hæc, omnes gentes: auribus percipite omnes, qui habitatis orbem, etc. Os

Salomone
enunciat
Ecclesiastes?
Resp.
Primo.

Print.
pos erat
concionator.